

obtinere, nihilominus tamen Theologo vel Medico prodesse possunt.

III.

Praeterea iisdem ferè mediis & instrumentis Metallorum Transmutatio & Medicamentorum chymica præparatio perficiuntur, ut satis notum est: Ad utramq; enim requiritur non solum calor, menstruum, aër, aqua: sed & eadem operationes, puta Purificatio, Calcinatio, Destillatio, Digestio, &c. imò utriq; necessaria est variorum spirituum ex vegetabilibus, animalibus, & mineralibus præparatio; Et Chymico concessum est nunc medicamenta præparare, nunc Metallis transmutandis incumbere, neque hoc modo limites artis suæ transgreditur. Utrumque tamen artificium sine discrimine Chymia & Alchymia appellatur.

IV.

Aliter distinguit Libavius *Alchym. lib. 1. cap. 1.* dum Alchymiam dividit in Encheriam, quæ manuales docet operationes, & Chymiam, quæ ipsas species chymicas, & illas conficiendi processus continet: adeoque sub titulo Alchymiae Chymiam tanquam partem comprehendere videtur.

V.

Verum res ipsa quidem ita sese habet, & differentia constituenda inter Præcognita & ipsam artem. Quæcunque enim Encheria tractat, mera sunt Prolegomena, quæ labores chymicos aggressuro primario cognita esse debent. At nominibus hisce, quæ rem eandem denotant, malè has duas partes distinguit.

VI.

Unde apparet nullum inter Chymiam & Alchymiam discrimen esse, sed utraq; voculâ modo hac modo illa usurpata unam eandemq; artem denotari.

VII.

Nos ergo Chymiam seu Alchymiam ex mente Excellentiss. Dni. Præs. Præcept. & Patron. observandis. sic definimus. Est ars corpora

Chymie definitio.

pora